

Musa Iouem cœlo statuit : & cæsaris **astrum**,  
 Atq3 deos inter diuidit imperium  
 Neptuno mare sorte datum **data** tartara diti  
 Iuppiter omnipotens ardua regna tenet.  
 Hinc est Saturnus, Pallas : hinc maxima iuno  
 Hinc atlantiades <sup>1</sup> : hinc Venus : hincq3 puer  
 Tyndaridæ fratres : hinc inter sidera noti  
 Herculis hinc uirtus nominis <sup>2</sup> instar adest.  
 Tu quoq3 gemmifera conscendere in astra corona  
 Si faueas musis : Dive Pater poteris.  
 Quid tibi nunc aliud fas est optare, quid ultra  
 Quam fieri æternum nomen in orbe tuum ?  
 Sint tibi diuitiæ Crassi Syllæq3 potentis  
 Innumeræq3 undæ <sup>3</sup> si cumulentur opes.  
 Sit tibi quod flaua uoluit pactolus arena  
 Romanumq3 decus persica gaza <sup>4</sup> simul.  
 Quid facies tandem ? quantum natura requirit (f. 4 v°).  
 Hoc tantum sumes : cœtera mortis erunt.  
 At tibi diuitiæ superant, superatq3 supellex :  
 Et tibi pontificum gloria fortis adest.  
 Optandum est igitur uirtute extendere famam  
 Quod præstare tibi sola Camœna potest.  
 Hoc neq3 protogenes <sup>5</sup> : neq3 apelles nec polycletus  
 Præstabunt Zeuxis <sup>6</sup>, non quoq3 Parrhasius.  
 Picta dies diuturna <sup>7</sup> abolet, roditq3 uetustas  
 Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.  
 Pyramides <sup>8</sup> cecidere phari cecidere colossi  
 Lysippi : at uitam docta poesis habet.  
 Sed ne displiceant cythare modulamina longæ  
 Iam tibi Diue Pater sit satis usq3 Vale.

---

1. Original : athlantiades. — 2. Il faut sans doute lire : *numinis*. — 3. Original :  
*nudæ*. — 4. Original : *goza*. — 5. Protegens dans l'original. — 6. L'original  
 donne *zeusis*. — 7. Original : *diutnrna*. — 8. Original : *Piranides*.

